

decimam profanari mos esset, secundum quod Plautus
In partem, inquit, *Herculaneam*, id est, decimam. Con- 7 □
 secrata igitur ara Maxima profanataque apud eam de-
 cima Recaranus, eo quod Carmentis invitata ad id
 5 sacrum non affuisset, sanxit, ne cui feminae fas esset
 vesci ex eo, quod eidem arae sacratum esset: atque
 ab ea re divina feminae in totum remotae.

Haec Cassius libro primo. At vero in libris Pontifica- 7
 lium traditur Hercules, Iove atque Alcmena genitus,
 10 superato Geryone, agens nobile armentum, cupidus
 eius generis boves in Graecia instituendi, forte in ea
 loca venisse et ubertate pabuli delectatus, ut ex longo
 itinere homines sui et pecora reficerentur, aliquamdiu
 sedem ibi constituisse. Quae cum in valle, ubi nunc 2
 15 est circus maximus, pascerentur, neglecta custodia,
 quod nemo credebatur ausurus violare Herculis prae-
 dam, latronem quendam regionis eiusdem, magnitudine
 corporis et virtute ceteris praevalentem, octo boves in
 speluncam, quo minus furtum vestigiis colligi posset,
 20 caudis abstraxisse. Cumque inde Hercules proficiscens 3
 reliquum armentum casu praeter eandem speluncam
 ageret, forte quadam inclusas boves transeuntibus ad- 4 □
 mugisse atque ita furtum detectum; interfectoque
 Caco Euandrum re comperta hospiti obviam ivisse
 25 gratantem, quod tanto malo fines suos liberasset, com-
 pertoque, quibus parentibus ortus Hercules esset, rem
 ita, uti erat gesta, ad Faunum pertulisse. Tum eum
 quoque amicitiam Herculis cupidissime appetisse. Quam
 opinionem sequi metuit noster Maro.

30 Cum ergo Recaranus sive Hercules patri Inventori 8
 aram maximam consecrasset, duos ex Italia, quos
 eadem sacra certo ritu administranda edoceret, ascivit,
 Potitium et Pinarium. Sed eorum Potitio, quia prior 2 □